

esse desitaram; quia reprobri ob peccata mortalia quibus detinentur, cujuscumque veniae sunt incapaces, etiam pro culpis levioribus a se admissis.

4º Peccata venialia sæpe repetita disponunt hominem ad mortaliter peccandum, ut constat 1º ex Scriptura sacra dicente, Eccli. xix, 1: *Qui spernit modica, paulatim decidet*; et Luc. xvi, 10: *Qui in modico iniquus est, et in majori iniquus erit*; 2º ex sanctis Patribus et consensu omnium theologorum, affirmantium peccata venialia sedulo cavenda esse, ne labamur in mortalia; ex ratione: facile enim intelligimus peccata venialia multiplicata fervorem charitatis, timorem Dei et horrorem peccati minuere, leves transgressiones sæpe iteratas ad graviores præsertim in eadem specie disponere, ut constanti experientia confirmatur. Ergo.

Hinc patet quam periculose levia negligantur peccata, maxime ab iis qui ad majorem tenentur perfectionem, ut sunt: 1º sacerdotes Missam arido corde celebrantes, sine præparatione, sine gratiarum actione, sanctissima religionis mysteria præcipitanter et indecora tractantes; 2º clerici in sacris divinum officium sine attentione et devotione recitantes, otio, ludis, sensualitati indulgentes, de Deo sæpe loquentes et parum cogitantes; 3º juvenes clericatum ambientes, et in negligentia, torpore, perpetua levitate viventes, etc.

CAPUT TERTIUM.

DE PECCATIS COMMISSIONIS ET OMISSIONIS.

Peccatum *commissionis* est transgressio præcepti negativi, et fit id quod prohibetur agendo, v. g., furando, occidendo, etc.; et peccatum *omissionis* est transgressio præcepti positivi, fitque omittendo quod præcipitur, v. g., eleemosynam, Missæ auditionem, etc.

Certum est omnia peccata in peccata commissionis et

omissionis adæquate dividit: « Duobus modis enim constat esse peccatum, si aut fiunt illa quæ prohibitur, aut illa non fiunt quæ jubentur, » ait recte *Cælestius apud S. Aug.*, lib. de Perfectione justitiae, cap. 5.

Negari igitur non potest dari peccata omissionis sicut et commissionis. Inter ea hæc datur differentia, quod scilicet omissio non semper sit illicita, sed tantum si locum habeat tempore quo urget præceptum affirmativum, dum commissio mali nunquam licita est: præceptum quippe affirmativum obligat semper, sed non pro semper; præceptum vero negativum obligat semper et pro semper.

1º Nulla omissio est imputabilis ad peccatum sine actu voluntatis; imputabilis enim esse non potest sine aliquo libertatis exercitio: porro nullum fieri potest libertatis exercitium sine actu voluntatis: ergo.

2º Actus bonus vel indifferens, qui est causa culpabilis omissionis, malitiam ipsius omissionis contrahit, et aliam non habet: unde in confessione sufficit omissionem declarare, v. g., si quis Sacrum die dominica ad studendum omiserit, sufficit quod dicat se Missam sine ratione sufficienti omisso. Si vero causa propriam haberet malitiam, v. g., si quis Missam ad furandum omisisset, utramque malitiam aperire teneretur, ut patet.

Actus in se bonus, qui non nisi concomitant ac peccatum omissionis fit, non ex eo vitiatur.

3º Qui scienter ponit causam omissionis, eo instanti ipsius malitiam coram Deo contrahit, etsi omissione reipsa non sequatur, eamque confiteri tenetur; sed peccatum externum non consummatur, et penæ, si quæ sint, non incurruunt, nisi tempore quo fit omissione, ut in Tractatu de *Actibus humanis*, t. iv, p. 455, ostendimus.

Qui ex justitia aliquem corriri tenetur, et correptionem culpabiliter omittit, tot facit peccata, si ea præviderit, quot faciet non correptus, quia mali effectus malitiam suam communicant causæ. Qui, e contra, ad correptionem ex sola charitate teneretur, eam omittendo, unum duntaxat admitteret peccatum contra charitatem, eo gravius quo plura faceret non correptus. De peccatis

autem alienis specialius agemus in Tractatu de *Justitia*, ubi de perversis mandatis, consilii et exemplis dicemus.

Notandum 1º peccatum commissionis et peccatum omissionis specie differre, etiam quando eidem praecepto opponuntur, quia diverso modo ei adversantur, ut odium Dei et omissione actus amoris : igitur qui Deum odisset, peccatum suum non sufficienter declararet, dicendo se contra charitatem divinam peccasse.

Notandum 2º peccatum commissionis, cæteris paribus, gravius esse peccato omissionis, quia gravius est malum objectum amplecti quam bono non adhærere, v. g., Deum odisse, quam actum charitatis non elicere; hominem in puteum projicere, quam illum alterius malitia projectum non retrahere; actio enim ex se denotat firmorem animi determinationem majoremque a bono aversionem.

CAPUT QUARTUM.

DE PECCATIS CARNALIBUS ET SPIRITALIBUS, EX INFIRMITATE ET EX MALITIA, CONTRA DEUM, PROXIMUM ET SEIPSUM, CORDIS, ORIS ET OPERIS.

1º Ea peccata dicuntur *carnalia*, quæ delectationem carnalem habent pro objecto, ut gula et luxuria; et ea quæ spiritualem habent pro objecto, vocantur *spiritualia*, ut sunt superbia, invidia. Sic dividi posse peccata supponit Apostolus, dicens, II Cor. vii, 1 : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus*. Si autem in Epistola ad Galatas, cap. v, odium, invidiam et alia peccata quæ non consummantur in carne, inter opera carnis recenseat, id intelligendum est de operibus ab homine carnali factis, quo sensu ipsa peccata spiritualia, opera carnis dici possunt.

2º Peccatum quod fit ex passione antecedente, non volita in se, nec in causa, dicitur *ex infirmitate*, quia

passiones sunt velut animæ aegritudines : peccatum vero quod fit ex plena libertate, absque ignorantia intellectus et passione voluntatis, dicitur *ex malitia*. Est omnium in genere suo gravissimum, quia nulla ratione excusari potest, dum peccata ex ignorantia et passione antecedente provenientia, in ratione liberi minuantur, ut alibi diximus.

Peccata ex prava consuetudine, quam quis emendare non curat, commissa, peccatis malitiæ æquivalent : « *Malifestum est quod quicumque peccat ex habitu peccat ex certa malitia*, » inquit S. Thom. I 2, q. 78, art. 2. Consuetudo enim minime retractata deliberationem antecedentem nullo modo excludit : tota igitur imputabilis est ac consequenter peccata ex illa nascentia non excusantur nec minuantur. Unde qui talem habent consuetudinem peccandi, eam quamprimum efficaciter retractare sub mortali tenentur.

3º Omnia peccata sunt contra Deum, contra proximum, vel contra nosmetipos, prout adversantur virtutibus quæ specialiter habent pro objecto Deum, proximum vel nosmetipos : verum nulla est obligatio declarandi in confessione an sint contra Deum, proximum aut nosmetipos, quia, specie declarata, eorum objectum statim intelligitur.

4º Alia sunt peccata *cordis* quæ exterius non prodeunt, v. g., perversæ cogitationes, de quibus sufficienter diximus in *Supplemento ad Tractatum de Matrimonio*, agendo de delectatione morosa; alia dicuntur *oris*, quia solo sermone consummantur, ut detractio, contumelia, mendacium; alia sunt *operis*, quia in solo opere externo perficiuntur, ut furtum, homicidium. Hæc peccata sæpe inchoantur cogitatione, incrementum accipiunt sermone et consummantur opere; tunc ejusdem sunt speciei; at diversos habent gradus in confessione declarandos, ubi actus sunt distincti, si nempe aliquis sisterit in cogitatione, vel in sermone, etc.

Notandum peccata cordis seu mere interna multo facilius multiplicar quam peccata externa.

CAPUT QUINTUM.
DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Quod est inferiorum principium et directivum dicitur caput, ducta metaphora a capite animalis totum animal dirigente. Eo sensu quædam peccata dicuntur capitalia, quia aliorum sunt causa, fons, principium, non vero quia sunt omnium maxima, nec quia sunt semper mortalia. Illorum divisio et numerus non fundantur in Scriptura, nec in ulla conciliorum definitione; *S. Greg. Magnus*, lib. 31 Moral. cap. 15, primus septem hæc vitia exhibuit ut capitalia, eaque *exercitum diaboli* vocat, cui superbia velut regina imperat. Post eum *S. Th. 1 2*, q. 84, art. 4, et unanimiter theologi septem agnoscunt capitalia peccata, quæ sunt: superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira et acedia. De iis singulatim et breviter dicemus, excepta luxuria, de qua in speciali dissertatione tractamus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUPERBIA.

Superbia est, juxta *S. Th. 2 2*, q. 162, *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Nomine *appetitus* intelligitur amor, desiderium et complacentia.

Signa et characteres hujus appetitus sunt: 1º seipsum supra realitatem aestimare; 2º bona ad propriam excellentiam spectantia, ut virtutem, scientiam, fortitudinem, etc., ad Deum et ejus gloriam saltem ultimate non referre; 3º ab aliis velle aestimari, honorari, laudari, et si non faciant, tristari, dolere, irasci; 4º proprio judicio pertinaciter adhærere; 5º alios aspernari, aliena parvi pendere, se suaque pluris aestimare; 6º putare se habere bona quæ non sunt, aut majora quam sunt; 7º propriam excellentiam in eo ponere ubi non est; 8º credere se sua bona a

Deo non accepisse, aut propriis viribus obtinuisse, quod tamen ad superbiam non necesse est; sed satis est quod, consideratis bonis sine respectu ad Deum, in iis sibi complacet et perinde se gerat ac si illa a Deo non haberet; tale fuisse peccatum Angelorum in *cœlo* plurimi docent; 9º nolle superioribus suis se submittere, quasi id sit indignum vel indecorum; nullius consilii aut præceptis parere, sed proprio arbitratu vivere, etc.

Certum est superbiam ex genere suo esse peccatum mortale; nam 1º *Prov. viii, 13*, Deus dicit: *Arrogantium et superbiam detestor*, et *B. Paulus, Rom. 1, 30*, ponit superbos et elatos inter eos qui digni sunt morte; 2º superbia honori, majestati et excellentiæ Dei adversatur: ergo objectum ejus ex natura sua grave est; 3º est radix omnis peccati, ut expresse legitur *Ecli. x, 15*: *Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem*. Ergo.

Sæpe tamen est peccatum veniale, etiam ratione objecti, si nempe sit imperfecta, v. g., si quis, absque Dei aliorumve contemptu, superioribus subjici non renuens, se omnia Deo debere confitens, tantum plus æquo se extollat, vel in propria excellentia nimis sibi complacet; finem suum ultimum in Deo nihilominus semper reponens.

At quis Luciferum superbia devictum et cum eo innumeros spiritus perfectos, atque primum hominum parentem cum universo genere humano similiter superbia prostratum serio considerans, non paveat et contremiscat?

Filiae hujus vitii sunt: præsumptio, quæ est inordinata cupiditas aliquid facultatem nostram excedens faciendi; ambitio seu inordinata cupiditas honoris, dignitatis vel potentiae; et vana gloria, quæ est inordinata cupiditas humanæ estimationis et laudis: ad eam, juxta *S. Gregorium et S. Th. 2 2*, q. 132, art. 5, septem alia referuntur peccata, nimirum inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia et inventio novitatum.

Remedia superbiæ ejusque filiarum sunt præcipue : 1º humilitatem frequenter et enixe a Deo petere ; 2º suum nihilum, suam effrenatam in malum propensionem, suas innumeratas miserias, tum corporis, tum animæ, ante oculos semper habere ; 3º supremam Dei excellentiam et infinitam ejus bonitatem erga nos continuo recordari, hæc B. Pauli verba, I Cor. iv, 7, nobis applicando : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriari quasi non acceperis?* 4º poenas superbiæ et humilitatis præmia sæpe meditari : *Deus superbis resistit, humiliibus autem dat gratiam*, I Petr. v, 5 : *Qui se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur*, Matth. xxiii, 12; 5º exempla Christi, qui semetipsum exinanivit, frequenter sibi repræsentare ; 6º actus internos et externos humilitatis crebro exercere, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE AVARITIA.

Avaritia est amor inordinatus divitiarum ; quo nomine intelliguntur res quælibet sensibiles, pecunia æstimabiles, ut agri, domus, pecora, vestes, panni, etc. Est peccatum ex genere suo mortale, ut constat 1º ex Eccli. x, 9 : *Avaro nihil est sclestius... nihil est iniquius quam amare pecuniam ; hic enim et animam suam venalem habet* ; et 2º ex B. Paulo, Ephes. v, 5 : *Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei*. Ergo.

Peccatum est mortale quando quis, ad acquireendas, augendas aut conservandas divitias, adhibet media graviter illicita, aut paratus est mortaliter peccare, aut reipsa mortaliter peccat, v. g., bonum alienum accipiendo vel detinendo, mala fide in contractibus utendo, eleemosynam omittendo ubi eam dare tenetur, etc. Si quis vero divitias superflue quidem amet, sed propter eas aliquid grave facere nolit contra Deum aut proximum, veniali-

ter tantum peccat, ut docet S. Th. 2 2, q. 118, art. 4, et communiter alii.

Qui volunt divites fieri incident in temptationem et in lagrum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, I Tim. vi, 9. His verbis clare exprimitur quomodo avaritia sit peccatum capitale.

Filiae ejus sunt : 1º obduratio cordis super egenorum miseria, eis non compatiendo, non opitulando, eos obrurgando, credita dure exigendo, debita tarde solvendo, præceptum eleemosynæ negligendo, etc. ; 2º inquietudo cordis divitiis acquirendis et conservandis semper implicati, cum inani timore eas non acquirendi vel amittendi ; 3º violentia qua res alienæ injuste usurpantur ; 4º falsicia sive dolus ad alios dictis aut factis decipiendos, et fraus, quæ est astuta proximi deceptio per sola facta ; 5º perfidia, quæ fides in promissis, pactis et rebus creditis violatur ; 6º proditio, quæ est injusta rei alicuius manifestatio contra fidem promissam, in alterius detrimentum, etc.

Præcipua contra avaritiam remedia sunt : oratio, meditatio bonorum cœlestium, vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, mortis ejusque consecratio rum, etc., crebra eleemosynarum largitio facultatibus nostris proportionata, miserorum visitatio, in jactura bonorum resignatio, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

DE INVIDIA.

Invidia est animi tristitia de bono proximi, quatenus ab eo videmur æquari aut superari ; quia scilicet aestimamus propriam excellentiam nostram inde minui. Procedit ex superbia, et ex genere suo peccatum est mortale ; B. Paulus enim, Gal. v, 21, eam inter peccata quæ a consecutione regni cœlorum excludunt reponit, et in libro Sap. ii, 24, legitur : *Invidia autem diaboli mors*

introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

Filiae hujus vitii, juxta S. Greg. et S. Th. 2 2, q. 36, art. 4, sunt : odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, et in ejus prosperis afflictio. Susurratio est sermo quo, sine justa causa, aliquid refertur uni personæ aptum ad amicitiam ejus cum alia persona dissolvendum : cum autem vera amicitia maximum sit bonum, juxta hæc Eccli. vi, 14, verba : *Amicus fidelis, protectio fortis; qui invenit illum, invenit thesaurum,* susuratio est gravissimum peccatum. Unde 1º Eccli. xxi, 31 : *Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur;* et 2º B. Paulus, Rom. 1, 29, inter eos qui digni sunt morte numerat, *plenos invidia, malignitate, susurriones, detractores... sine affectione,* etc.

Remedia invidiæ sunt : 1º considerare quod illa nihil proficiat invidenti, sed e contra illi graviter noceat, illum amicitia Dei privando; 2º gaudere de bono proximi, quatenus est proximus, quia illum sicut nosmetipsos diligere debemus; 3º ei de bono habito gratulari, illum laudare, pro illo orare; 4º gloriam humanam desplicere ac contemnere, secundum B. Apostoli consilium, Gal. v, 26 : *Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

Notandum invidiam differre 1º ab æmulatione, quæ est tristitia de bono proximi, non quia proximus illud habet, sed quia nobis deest : unde si illud legitime habere possimus, illud æmulando non peccamus; si vero illud legitime habere non possimus, aut illius incapaces simus, æmulatio est peccatum mortale aut veniale, juxta gravitatem inordinationis; 2º ab indignatione, quæ est tristitia de bono proximi, quatenus proximus illo judicatur indignus : fieri potest ut quis justissime indignetur, v. g., de collatione officii magni momenti homini evidenter indigno : sedulo tamen cavendum est a judicio temerario, et ab ipsa invidia; 3º ab odio, quod est tristitia de bono proximi sine respectu ad imminutionem boni nostri, ex sola proximi displicentia proveniens.

Tristitia de alterius elevatione ob injustum nocumentum ab eo timendum, non est invidia, sed legitimus timor.

ARTICULUS QUARTUS.

DE GULA.

Gula est inordinatus cibi aut potus appetitus : unde dupliciter hoc peccatum committi potest, nimirum per excessum in cibo aut in potu non inebriativo, et dicitur crapula, et per excessum in potu inebriativo, et dicitur ebrietas.

De crapula.

Crapula ex genere suo est peccatum mortale, siquidem B. Paulus eam inter peccata a regno cœlorum exclusentia collocat, Gal. v, 21, nominans *comessationes*; et gravem habere potest deformitatem, si nempe 1º quis paratus sit mortaliter peccare ad oblectationibus cibi vel potus fruendum, et tunc in eis finem ultimum ponit, juxta hæc Apostoli verba, Philipp. iii, 19 : *Quorum deus venter est;* 2º si ita dispositus sit ut nihil aliud querat quam edendi et bibendi voluptatem; 3º si per cibi vel potus excessum valetudini suæ graviter noceat; 4º si ob voluptatem edendi vel bibendi usque ad vomitum scienter se ingurgitet, quia, etiam seclusis scandalo et chrietate, hoc gravem continet inordinationem; 5º si voluntarie ad vomitum se excitet, ut iterum propter voluptatem edat, sicut de Vitellio refertur : hoc quippe naturam rationalem valde dedecet; 6º si absq[ue] necessitate, carne humana aut sanguine vescatur; ad hoc enim tanquam a re valde inordinata et extrema feritatis semper abhorruerunt omnes gentes non penitus barbaræ; 7º si grave præbeat scandalum, puta si religiosus vel clericus comessationibus in loco publico nimis indulget.

Extra hos casus, peccatum gulae est solum veniale, ut docent S. Thomas, 2 2, q. 148, art. 2, et generaliter theologi.

Peccatum gulæ, sive mortale, sive veniale, quinque modis sequenti versu expressis committi potest :

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Qui congruum comedionis tempus prævenit, v. g., die jejunii, *præpropere* peccat; qui cibos pro statu suo nimis delicatos requirit, peccat *laute*; qui mensuram moderatæ refectionis excedit, peccat *nimis*; qui avide sumit cibos etiam viles, peccat *ardenter*; tandem qui vult cibos nimis accurate et sapide præparatos, relative ad suam conditionem, peccat *studiose*.

Quinque illi modi satisfaciendi gulæ enumerantur a S. Gregorio, lib. 30 Moral., cap 18.

Naturali sapore cibi et potus frui non est per se peccatum; infirmitas enim humana non tantum cibo et potu, sed et ipso sapore indiget, ut refectionem suam sumere valeat. Verum edere aut bibere propter saporis voluptatem, peccatum est veniale, ut communissime docent theologi. Unde Innocentius XI sequentem damnavit propositionem : « Comedere et bibere usque ad saturitatem, » ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non « obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis » suis actibus frui. »

Notandum quamdam esse decentiam statui proportionatam in delectu et copia ciborum, sicut in supellectili et vestibus, quam modeste et pura intentione servare non est peccatum.

De ebrietate.

Ebrietas est excessus in potu usque ad violentam rationis privationem : igitur malitia ejus in eo præcise sita est, quod homo sciens et volens, directe vel indirecte, cum tali excessu bibat ut usu rationis careat.

Ebrietas perfecta et voluntaria, semper est peccatum mortale : constat 1º ex Scriptura, I Cor. vi, 10 : *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*; Gal. v, 21, ebrietates numerantur inter opera carnis, quæ a consecutione regni Dei impediunt : 2º ex SS. Patribus et Ecclesiæ doctori-

bus, qui unanimi ore pronuntiant ebrietatem esse malam in se et peccatum mortale; 3º ex ratione ; nomine gravis est disformitas naturæ rationali repugnans, se ita ad brutorum stoliditatem abficere, et imaginem Dei in se sic voluntarie deturpare? Ergo. Unde ebrietas est intrinseca mala, ac proinde se inebriare non licet etiam ad servandam vitam.

Signa autem perfectæ ebrietatis sunt : 1º si quis inter licitum et illicitum jam non discernat; 2º si solita officia exercere nequeat; 3º si postridie non meminit quid dixerit aut fecerit, quomodo domum redierit, etc.; 4º si ea fecerit quæ nunquam integrâ mente facere consuevit, v. g., si absurdâ dixerit, si turpia protulerit, si familiam turbaverit, uxorem verberaverit, etc., dum hæc nunquam faciebat.

Perfectæ autem ebrietatis non sunt signa certa, inquit S. Ligoriūs, *hesitatio linguae, titubatio pedum, nec objecta videre duplicitia aut titubantia*.

Qui alios excitant ad bibendum, vel, absque causa excusante, potum se inebriaturis præstant, inebrietatis eorum fiunt participes.

Ebrietas imperfecta sæpe est mortalis ratione scandali, periculi alteriusve circumstantiæ ei annexæ; secus est duntaxat venialis.

Filiae gulæ, juxta S. Greg., sunt : inepta lætitia, scurilitas, immunditia corporis, multiloquium et hebetudo mentis.

Qui ad serviendum gulæ, per crapulam aut ebrietatem, inclinantur, sequentia Christi verba sæpe meminirent : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa.* Luc. xxi, 34.

ARTICULUS QUINTUS.

DE IRA.

Ira, quæ etiam dicitur iracundia, est inordinatus vindictæ appetitus.

Dicimus *inordinatus*, quia fieri potest ut vindicta ordinate appetatur, et tunc ira non est peccatum: unde Psalmista dicit, Ps. iv, 5: *Irascamini, et nolite peccare.*

Duplici modo autem vindicta inordinate appeti potest, nempe 1º si optetur ei qui eam non meruit, vel ultra quod mernit, et tunc ira ex genere suo est peccatum mortale; idcirco B. Paulus, Gal. v, 20, eam inter peccata a regno Dei excludentia numerat. Sæpe tamen est venialis offenditum advertentiæ sufficientis, vel ob levitatem materiæ. 2º Si quis justam vindictam appetendo, nimis ardenter irascatur interius, si nimis exterius manifestet signa iræ; in eo casu ira rationem peccati venialis per se non excedit. Sie S. Th. 22, q. 158, art. 3. Potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemie, injuriæ, maledicti, convicii, etc.

Filiae iræ, a S. Gregorio numeratae, sunt: indignatio, tumor mentis, contumelie, rixa, clamor et blasphemia, quarum ordo a S. Th. sic consideratur, art. 7: « Ira in quantum est in mente, gignit indignationem et tumorem mentis; in quantum est in ore, producit clamorem, contumeliam et blasphemiam; in quantum transit ad facta, generat rixas, ad quas referuntur pugnæ et omnia nocimenta quæ ex ira proximo inferuntur. » Ejus remedia sunt præcipua: 1º considerare quam sit injusta et perniciosa; 2º orare, et mansuetudinem Christi meditari; 3º nihil agere aut loqui in motu iræ, sed exspectare donec quiescat; 4º motus iræ impedire, aut nascentes statim reprimere, et frequentes actus mansuetudinis, patientiæ ac humilitatis exercere.

ARTICULUS SEXTUS.

DE ACEDIA.

Acedia generatim est torpor circa spiritualia, et sic spectata non est peccatum speciale, sed potius circumstantia cuiuslibet peccati; siquidem omne vitium est torpor circa bonum spirituale sibi oppositum.

Acedia specialiter sumpta, prout est peccatum capi-

tale, est tristitia seu tedium de bono spirituali ad nos pertinente, ut sunt gratia Dei, sacramenta, observantia divinorum præceptorum, virtutes christianæ, etc.

Differt ab odio Dei, quo bonum prout est in Deo aversatur, et ab invidia quæ est tristitia de bono prout est in proximo; acedia enim respicit bonum spirituale prout est vel esse potest in nobis.

Est de genere suo peccatum mortale, juxta S. Th. 22, q. 35, art. 3, et omnes alios doctores, quando versatur circa necessaria ad salutem, vel circa ea quæ graviter sunt præcepta: secus, est solum peccatum veniale, plus minusve notabile, juxta gradum tædii et periculi ultrius progrediendi, dummodo necessaria aut præcepta non omittantur. Ut filiae acediae numerari solent mentis evagatio, torpor, rancor, pusillanimitas, malitia et despe- ratio.

1º Evagatio mentis in exercitio spirituali graviter præcepto, v. g., in recitatione officii divini, et perfecte voluntaria in se vel in causa, est peccatum mortale, si in parte notabili perseveret: in oratione non præcepta, est duntaxat peccatum veniale.

2º Torpor est languor animi quo bonum omittitur aut fit negligenter; in iis quæ graviter præcipiuntur est mortal: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*, et in Septuaginta interpretibus, *negligenter*; Jerem. XLVIII, 10: semper valde periculosus est et ad mortale disponit.

3º Rancor est fastidium et quædam indignatio adversus eos qui nos excitant ad virtutem; indicium est animæ in servitio Dei saltēm graviter periclitantis.

4º Pusillanimitas est propriarum virium diffidentia, qua quis opera ardua et sua officia refugit aut negligit, sicut servus piger Evangelii, qui acceptam domini pecuniam, in terram abscondit. Matth. xxv, 18.

5º Malitia in eo consistit, quod quis, ob difficultates in servitio Dei superandas, bona spiritualia odit, vellet ea non esse, beneficium Dei contemnit, v. g., optaret se bestiis esse similem, etc. Nullum est dubium quin sit mortalis ubi est plene voluntaria.

6º Desperatio, qua quis de consecutione felicitatis aeternae desperans, omne salutis studium postponit, peccatum est mortale.

Hinc patet quam periculosa et in negotio salutis timenda sit acedia : omnem devotionem exsiccat, vires extenuat, zizania vitiorum spargit, mentis stuporem et obscuritatem inducit, eamque ita hebetat et corrumpt, ut solidorum virtutis officiorum fiat incapax : semper igitur meminerimus haec Apostoli verba, Rom. xii, 11 : *Soliditudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes; metu judiciorum Dei et intuitu ejus præmiorum semper nos excitemus ad officia nostra accurate et jugiter implenda.*

FINIS TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS

DE DECALOGO.

Decalogus, a duobus verbis græcis, δεκα, decem, et λογος, verbum seu sermo, veniens, definiri potest : *Lex naturalis et divina, in decem præcepta distributa, digito Dei in tabulis inscripta, et per manus Moysis populo Judaico data.*

Dicitur 1º *Lex naturalis*, id est, in natura hominis fundata, in corde ejus a Deo creante aliquo modo insculpta et ei manifestata, præcipiens quod in se bonum et vetans quod in se malum est.

Dicitur 2º *divina*; quia Deus hanc legem a se in homine inscriptam eique primitus manifestatam, sed oblitam vel deturpatam, iterum positive revelavit et observari jussit. Nam, ut ait S. Aug., Enar. in Ps. LVII, « ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis quod in cordibus non legebant : non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. »

Dicitur 3º *in decem præcepta distributa*; teste enim Moyse, Exod. xxxiv, 28, scripsit (Deus) in tabulis verba fœderis decem, quæ in Exod. xx, referuntur : præcipua sunt capita in quibus omnia legis naturalis officia plus minusve proxime continentur.

Dicitur 4º *digito Dei in tabulis inscripta*; Deus enim legem suam alta voce promulgaverat in monte Sinai, inter fulgura, tonitrua, nubem densissimam, fumum ascendentem et sonitus buccinæ, universo populo audiente et perterritio : *Eratque omnis mons terribilis*, Exod. xix, 18 : *Scrispsit autem Moyses universos sermones Domini... assumensque volumen fœderis legis, audiente populo, qui dixerunt : Omnia que locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes*; Exod. xxiv, 4 et 7. Moyses iterum vocatus in montem, multa accepit a Deo mandata circa ar-